


Tax
B 46





LIBRARY OF THE GRAY HERBARIUM

HARVARD UNIVERSITY.

BOUGHT.








ANTONII BERTOLONII

MED. DOCT.

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI BOTANICES PROFESSORIS
ACAD. ITAL. ET R. SCIENT. ACAD. GEN. SOC. ORDIN.
R. SCIENT. ACAD. TAURIN. LONDIN. HORT. CULT.
ET TRUENT. SOC. EXT.

EXCERPTA

DE RE HERBARIA



BONONIAE

TYPIS ANNESII DE NOBILIBUS

AN. MDCCCVX.

Nov. 3, 1916
Gray Herbarium
Harvard University

PRAEFATIO.

Ex innumeris propemodum observationibus, quas res herbaria quotidie suppeditat, paucas seligo, quae seu ad plantas nostras aut novas, aut parum cognitas spectent, seu ad alienigenas, quae tantâ copiâ hodie ad nos importantur, pertineant, spero fore, ut aliquam politiori doctrinae stirpium utilitatem afferant. Per has enim clarè patet, quae vel summis viris visae sunt duae ex *Salviae* genere species, nihil aliud esse nisi unius, ejusdemque *Salviae clandestinae* lusus; per has monemur, ne protheiformi *Valerianae montanae* faciei nimium credamus ita, ut pro veris speciebus varietates ejus quis sumat; pari pacto novum, et villositate culmorum singulare gramen Italica Flora adipiscitur; pretiosum illud ex America pharmacum, ad tugandas febres celebratissimum, illustratur quoad unam ex potissimis speciebus suis, perperam cum alia confusam; synonymia cujusdam *Violae* a Barrelleiro in Praetutianorum jugis repertae in sedem suam reponit; nova prodit ex *Apocineis* stirps, quae, praeter Marcgravium, veterem historiae naturalis Brasiliae scriptorem, Botanicos viros latuerat; ex duobus *Altii* alterum synonymâ ditatur, alterum, rectioribus detectis notis, emendatur; *Cactum* illum, qui *Cocco* rubrum colorem praebente spectatissimus, non unius speciei esse, sicut nec *Coccus* ipse est, demonstratur, id quod haud satis clarè Linnaeo innotuit; distinguitur *Delphinium* Italicis montibus peculiare, de quo antiquiores auctores loquuti sunt, sed postquam plura alia *Delphinia* eidem proxima e longinquis regionibus ad nos fuerunt perlata, a superioribus, ne ipso quidem Decandolleo excepto, ferè neglectum; et *Hibisci* duo, valdè inter se se affines, enucleantur, quorum prior novus, et a Raddio exiguo ad nos e Brasilia advectus, alter jam a Sloaneo propria icone fuerat constitutus, quam Linnaeus ad Indicam prope diversam speciem perperam traxerat; *Musam* a longinquo tempore in hortis Italiae pro *paradisiaca* habitam ex observatione inflorescentiae, et fructificationis ejus aliam esse discimus; describitur novum gramen e *Panici* genere, quod cum innumeris aliis magno pecoris nostri bono Brasilia ad nos

misit. Denique cum ab eo tempore , quo Amoenitates Italicas publici
juris feci , Turnerus Clarissimus ultimam partem voluminis tertii histo-
riae suae *Fucorum* evulgaverit, in qua de una , alterave specie a me
jam tradita agit , operaे pretium duxi illius synonymiam hic ad meos
Fucos afferre , et ita fortè ulterius explicare *Fucos* mediterranei maris ,
qui quidem nondum bene innotuisse videntur exteris Botanicis viris , de
iis ex sicco tantum dijudicantibus.

EXCERPTA DE RE HERBARIA.

CLASSIS DIANDRIA.

MONOGYNIA.

1. **SALVIA clandestina**: foliis serratis, pinnatifidis, rugosissimis, glabris; spicâ obtusâ; corollis calyce duplo longioribus *Bert. Amoen. Ital.* p. 74. n. 2. cum omnibus synonymis.
S. clandestina *Sp. pl. ed. 2. p. 36. n. 15.*
S. multifida *Sibth. et Smith Prodri. Fl. Graec. 1. p. 16. n. 58., et Fl. Graec. 1. p. 17. tab. 23. Spreng. Pug. 1. p. 3. n. 5. Röm. et Schult. Syst. veg. 1. p. 262. n. 160.*
S. polymorpha *Hoffmanseg. et Link Fl. Port. 1. pag. 150. tab. 19. Quid pulchrius? Röm. et Schult. Syst. veg. 1. p. 261. n. 158.*
- β foliis pinnatifido-linearibus.
Salvia clandestina Desf. Fl. Atl. 1. p. 23. Sibth. et Smith Prodri. Fl. Graec. 1. p. 16. n. 59., et Fl. Graec. 1. p. 18. tab. 24.
Habitat in ora maritima Italiae, Graeciae, Africæ borealis, Lusitaniae. *Perenn. v. v.*
- Haec planta mirè ludit foliis, ut qui de illa judicet vel ex hucusque datis iconibus, vel ex paucis speciminibus exsiccatis, facillimè eam in duas distinctas species dirimat. De hisce lusibus certior factus sum tum ex plantis in horto botanico Bononiensi viventibus, tum ex pluribus speciminibus siccis, quae eximius peregrinator Dominicus Della Cella nuperrimè legit in arenis Libycis ad Leptim magnam, et quae Cl. Vivianio unâ cum ingenti Libycarum planitarum collectione concessit. Utique enim res transitum mihi ostendit a planta, cuius herba luxuriat (quae *Salvia multifida* Fl. Graec.), ad eam, quae foliorum laciinis angustissimis, linearibus gaudet (quae *Salvia clandestina* Fl. Graec.); et Vivianius eximius specimen stirpis Libycae intermedium dono mihi benevolè dedit, quod in horto meo sicco adservatur. Itaque varietas nostra β nihil aliud est, nisi lusus speciei ex ariditate soli natalis. Omnia in ea contractiora, caules, calycesque hirsutiores, foliaque ipsa plus minus hirsuta, praecipue subtus, ubi ferè albido-tomentosa. Linnaeus

EXCERPTA DE RE HERBARIA

primùm loquitur de *Salvia clandestina* in editione secunda Specierum plantarum, et Italiam tantùm pro ejus loco natali ibi agnoscit; optimè autem eam describit juxta plantas in Italia nascentes, quae saepius speciem, nec varietatem, referunt, atque lobum medium labii inferioris rectissimè vocat album, quod quidem neutra iconum Florae Graecae ostendit.

CLASSIS TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

2. VALERIANA *montana*: foliis inaequaliter serratis, superioribus cuspidatis.

Copiosè provenit in Praetutianorum *Pizzo di Sivo*, et *Monte de' siori*, ubi Ursinius eam legit, et communicavit. Perenn. v. s.

Folia hujus varietatis ovata, vel subrotunda, etiam basi, plus minus serrata, caulina superiorea saepe altè, et inaequaliter serrata, precipue apicem versus, cuspide terminali longo, integerrimo. Foliorum caulinorum supremum par subinde lineare, angustissimum, longum, integerrimum, vel infernè lacinulatum. Flores corymbosi, grandiusculi, rosei.

Valeriana montana, *minor*, *integris foliis*, *Italica* Barrel. Plant. per Gall. Hisp. et Ital. p. 15. 1780. fig. 868., quam Barrelierius legit in montibus Praetutianorum, transtulitque Romanum in hortum, fortè haec eadem nostra est, quae seu casu, seu culturâ rediit in speciem suam.

DIGYNIA.

3. AVENA *villosa*: foliis, vaginisque glabris, culmo villoso; panicula strictâ; calycibus bifloris; flosculis basi, stipiteque barbatis; arista dorsali spiculis longiore.

Habitat in rupibus calcariis montis *Cornu Praetutianorum* ad *Arapietra*, ubi eam reperit Ursinius solertissimus. Perenn. v. s.

Radix fibrosa. Culmi caespitosi, in loco natali ad summum spithamei, villosi, villo deflexo, albido, molli, teretes, striati, simplices. Folia linearia, perangusta, arefactione convoluta, et subulato-filiformia, glabra, radicalia caespitosa, caulina vaginantia. Vaginae foliorum striatae, glabrae. Ligula brevissima, albo-membranacea, truncata, ore lacero. Panicula terminalis stricta. Rachis, et pedunculi villosi, villis sursum versis. Pedunculi simplices, ramosive, plures orti ex eodem loco, demptis supremis, qui solitarii. Calyces biflori, flosculo altero sessili, altero stipitato, stipite inter utrumque producto, apice abortivo. Glumae calycinae

concavo-lanceolatae, acuminatae, dorso pallidè virentes, margine albo-membranaceae, nervo dorsali scabriusculo, caeterum glabrae, nitidae, inaequales, major circiter $\frac{1}{4}$ longior, et flosculo stipitato respondens, minor longè angustior, et respondens flosculo sessili; ambae flosculum suum longitudine subaequantes. Villi albi, sericei, nitidi, stricti, ad basim utriusque flosculi, et per totum stipitem. **Gluma** *floralis* exterior concavo-lanceolata, glabra, nitida; dorso pallidè virens, margine albo-membranacea, apice biseta. Ex ejus dorso paullo supra medium prodit arista ipsâ duplo, vel triplo longior, geniculata, infra geniculum intorta, supra geniculum attenuata, et setacea, caeterum arefactione refracta, facile diffusa, nonnisi ad fortiorum lentem scabriuscula. **Gluma** *floralis* interior tota albido-membranacea, pellucida, glabra, apice bidentata, mutica, glumae exteriori, setis ejus non supputatis, longitudine aequalis. **Antherae** lineares, purpurascentes.

Planta singularis villositate culmi, ad *Trisetum recentiorum* pertinens, si hoc genus firmis inniteretur notis.

CLASSIS PENTANDRIA.

MONOGYNIA,

C. **CINCHONA** *glabra*: foliis evatis, utrinque acutis, subcoriaceis, glabris; paniculâ brachiatâ, ramis patentissimis, elongatis.

Cascarillo lampinno *Ruiz Quinol.* pag. 64. artic. 4.

Cinchona glabra *Ruiz Delta Chin.* trad. p. 80. artic. 4*.

C. lanceolata *Ruiz et Pavon Fl. Peruv.* tom. 2. p. 51. et tom. 3. p. 1. tab. 223. *Pers. Syn. pl.* 1. p. 196. n. 7.

C. lanceolata β *Röhm. et Schult. Syst. veg.* 5. p. 10.

Habitat in nemoribus frigidis Peruviae prope *Huanuco*. *Arb. v. s. cum fl.* Folia lata, ovata, paulisper utrinque acuta, glabra, subcoriacea, integerrima, venis transversis crebris, parallelis, suboppositis instructa. Flores paniculati, parvi, numerosi, paniculâ brachiatâ, ramis subcorymbiféris, patentissimis, elongatis, praecipue inferioribus. Calyces exiguè dentati.

* *Della China e delle altre sue specie nuovamente scoperte e descritte da D. Ippolito Ruiz primo Botanico della spedizione al Perù, Aggregato al Real giardino, e Membro della Real Accademia Medica di Madrid. Prima traduzione dall' originale Spagnuolo stampato in Madrid 1792. In Roma 1792. Dalla Stamperia Giunchiana a spese di Venanzio Monaldini.*

Loquor de hac planta juxta specimen, quod extat in horto sicco nostro unâ cum aliis sex *Cinchonis* Quinologiae Ruizianaæ, omnibus ab ipso Ruizio profectis. Nomen *Cinchonae lanceolatae* reiciendum duxi, quia erroneam formæ foliorum ideam suppeditans. Diversa est a *Cinchona nitida* Ruiz et Pav. Fl. Peruv. 2. p. 50. tab. 191., ut liquet ex hujus iconæ, et specimine apud me. Nam *Cinchona nitida* habet folia angusta, omnino lanceolata, tenuia, glaberrima, nitida etiam sicca, venisque lateralibus paucis, remotis, prorsus alternis instructa, paniculam strictiusculam, ramis omnibus brevibus, flores in singulo ramo corymbifero pauciores. Hinc hæc duæ species perperam pro varietatibus unius, ejusdemque stirpis a nonnullis habentur. Utraque praeterea differt a *Cinchona rosea* Fl. Peruv. 2. p. 54. tab. 199., ut et archetypa nostra trium harum specierum, et icones Floræ Peruvianæ facile evincunt.

5. *VIOLA alpina*: subacaulis; foliis subcordato-ovatis, obtusis, crenatis; stipulis dentatis; calycibus obtusis; calcare curvo, petalis longè breviore.

V. alpina Jacq. *Observ.* 1. p. 21. tab. 11., et *Fl. Austr.* 3. p. 24. tab. 242.
Röm. et Schult. Syst. veg. 5. p. 365. n. 42. *Pio De Viol.* p. 14. n. 17.

V. montana lutea subrotundo crenato folio *Barrel.* Ic. 691.

V. montana caerulea tricolor folio subrotundo crenato *Barrel.* Ic. 692.

Habitat in alpibus Austriacis, et apud nos in montibus Praetutianorum, ubi Barrelierius eam reperit in monte *Malliano*, et Ursinius in monte *Cornu*. *Perenn.* v. s.

Caulis semper brevissimus, ad summum pollicaris. Folia ovata, sepe cordata, obtusa, crenata, parva, longè petiolata, glabra, vel superne, petiolisque pilosula. Stipulae parvae, dentatae, subinde paullo altius incisæ. Pedunculus axillaris, solitarius, mirè varians longitudine, 1—6 pollicaris. In ejus parte superiori plus minus infra florem bracteolæ duæ, minutæ. Segmenta calycina latiuscula, apice obtusa, subinde crenata. Flos amplius, ludens gradatim minor, cernuus, nunc totus caeruleus, nunc totus flavus. Petala tria inferiora fauce albo-barbata, et lineis radiantibus violaceis picta; horum intermedium obcordatum, fauce aurantiacum. Calcar breve, obtusum, curvulum, ultra appendices descendentes calycis parum exorrectum, ideo calyce, et petalis longè brevius.

Collato specimine *Violæ alpinae* ex Austria, ab egregio Professore Parmensi Jan benevolè communicato, cum Praetutianis a sedulo Ursinio ad me missis, dubium non est, quin ea unam, eamdemque speciem sistant, colore florum variabili praeditam. Utraque Barrelierii icon, quæ e planta Praetutianorum montium fuit desumpta, valde bona, praecipue quoad formam floris, et calcaris. Duplicem verò Barrelierius eam dedit, quia ex diverso florum co-

lore diversitatem speciei levissimis, prout tunc temporis moris erat, notis stabilivit, cui rei non animadvertis editor Barrelieriani operis Jussiaeus male tribuit figuram 691 *Violae* in Cenisio copiosè nascenti, quae caule saepe elongato, ramoso, foliis majoribus, stipulisque pinnatifidis, calcari subulato, recto, petalis subaequali, aliisque characteribus diversissima, et quae est eademi, ac *Viola grandiflora* Decand. Fl. Franc. 6. p. 620. n. 4471. Nec meliori omne Linnaeus in Mant. 1. p. 120. 121. retulit ambas Barrelierii icones ad *Violam grandifloram* suam, caule alto, ramoso, folioso, stipulato, omnino *Violae tricoloris* distinctam; quia id plantae Praetutianae minimè est, ut benè monstrant ipsae Barrelierii figuræ.

6. GONOLOBUS floccosus: foliis cordatis, acuminatis, sinu clauso; corollis planis *Tab. I.*

G. suberosus Bert. Elench. p. 5.* (non Aitonii).

Ibati Marcgr. Bras. p. 19. ic. p. 20.

Habitat in America torrida. *Frutex.* v. v.

Caulis humanam altitudinem excedens, dextrorum volubilis, infernè cortice suberoso, rimoso, cinereo tectus, supernè teres, virens, hirsutus, villo desflexo. Folia opposita, petiolata, profundè cordata, sinu clauso, exquisitè acuminata, supra viridia, scabriuscula, subpilosæ, subtus tomentosa, mollia, pallida. Petioli teretes, crassiusculi, patentes, hirsuti; etiam sesquipolligares. Flores gloomerati in axillis, vel ad axillas, brevissimè pedicellati, et ferè sessiles. Calyx quinquepartitus, corollâ dimidio brevior, virens, pubescens; ejus laciniae oblongae, angustae, obtusae, cum lacinias corollinis alternae. Corolla quinquepartita, rotata, segmentis ova- tis, obtusiusculis, planis, viridibus, pubescentibus, supra ad basim demum fascis. Corona nectarifera cingens germen, scrobiculis quinque, margine ciliata, sinibus quinque, denticulis duobus in ora cujusvis scrobiculi. Guttula nectarea, pellucida, sphaerica extus sub unaquoque sinu. Massae pollinis decem, duae in quavis scrobe, aureo-pellucidae, sessiles, convexae, germini adnatae. Germen liberum, supra planiusculum, glabrum, nitidulum, pentagonum, margine reflexo, subrubido; in centro ejus stylus brevissimus, crassiusculus, teres, virens, apice capitellato-papillosus, an stigma? Pericarpium folliculus reflexus, ovatus, ventricosus, acuminatus, acumine leniter curvulo, undique tuberculato-echinatus,

* *Elenchus plantarum vivarum quas cum aliis vivis plantis communianas exhibet Hortus botanicus Archigymnasii Bononiensis anno MDCCCXX. Bononiae typis Annesii de Nobilibus MDCCCXX.*

echinis crassis, conicis, obtusis, ante maturitatem totus viridis, adspersusque flocco arachnoideo, levi, albo, in apice echinorum stipato, niveo. Ejus pedunculus mole auctus, pallens. Planta nau-seosè foetens odore murino, ut fēles ad eam assultent; vulnerata fundit plurimum lac album. Floruit apud nos ab Julio in serum autumnum.

Ortus est in horto botanico Bononiensi e seminibus ex Guadalupa missis, et a Cl. Balbisio mihi benevolè impertitis unā cum praetiosissima collectione plantarum exsiccatarum ex Guadalupa, et Portorico.

CLASSIS HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

7. **ALLIUM roseum** β : umbellâ bulbiferâ *Bert. Amoen. Ital. p. 63.*

A. roseum β *Gawl. in Curt. Magaz. tab. 978.*

A. ambiguum *Sibth. et Smith Prodr. Fl. Graec. 1. p. 227. n. 783.*

A. Tenorii *Spreng. Pug. 1. p. 29. n. 52.*

Ubique in Italia cum specie. *Perenn.*

8. **ALLIUM vineale**: caule teretifolio; umbellâ bulbiferâ; spathâ mucronatâ; petalis obtusis; staminibus alternè trifidis, styloque exertis.

A. vineale *Sib. pl. 428. Smith Ed. 2. v. 1. p. 359. n. 5., et Engl. bot. tab. 1974.*

A. littoreum *Bert. Amoen. Ital. p. 241. n. 37. excl. syn.*

Florens mihi occurrit in littore Ravennati, quae res in Italia rarissima. *Peren. v. v.*

Radix bulbus ovatus, tunicis emarcidis, fibrosis, fuscis cinctus. Folia teretia, striata, supernè sulcata, glabra, demum fistulosa, caulem infra medium vaginantia, vaginis teretibus, striatis. Caulis 2-3-pedalis, teres, erectus. Umbella terminalis, globosa, quandoque duplex, et triplices, ideo caulis biceps, triceps. Bulbilli numerosi, oblongi, acuminati, divergentes, decidui capitulum sphaericum formant ad umbellae basim. Spatha monophylla, mucronata, scariosa, mox umbellâ brevior, in plura segmenta irregularia fatiscens. Pedunculi tenues, apice incrassati, externi breviores, recurvi. Corolla vix sesquilineam longa, petalis ovatis, obtusis, dilutè purpureo-rubellis, linea dorsali saturatori. Stamina exerta. Filamenta basi dilatata, membranacea, alternè trifida, laciniis lateralibus capillaribus, longis. Germen trigonum. Stylus corollâ longior. Planta odore *Allii sativi* L. Floret Julio.

Ex bulbillis hujus speciei lectis in littore Ravennati enatae sunt plantae in horto botanico Bononiensi habentes caulem unicupitem, bicupitem, et tricupitem. Flores hic fuerunt longè pauciores, quam

EXCERPTA DE RE HERBARIA

in loco natali, bulbilli verò numerosiores, turgidiores, obovati, nonnullis in caudam foliaceam apice elongatis. Cum primū plantam legi in eodem littore, folia jam arefacta perperam mibi visa sunt plana, unde hallucinatio de *Allio littoreo* orta est. Haec species passim vivipara tantum in Italia occurrit.

CLASSIS ICOSANDRIA.

MONOGYNIA,

9. *CACTUS pseudo-cochinillifer*: articulato-prolifer, articulis oblongis, obovatisque, junioribus tenuibus; spinis fasciculatis, validis, longis, sordidè albis, pube brevissima.

Nopal sylvestre *Trait. de la cult. du nop. tom. 2. p. 277?**

Habitat in America calidiore. *Frut. v. v.*

Erectus, inordinate ramosissimus, in olla horti botanici Bononiensis jam plusquam septempedalis. Articuli caulem praecipuum constituentes oblongi, alii plusquam pedales, alii subpedales, saepe duo in unum, evindemque connato-continuati, inferiores incrassato-convexusculi, subinde lignescentes, superiores tenuiores. Reliqui articuli obovati, obtusi, breviores, tenues, flexiles, patuli, varie distorti. Omnes ad quindecim plus minus inordinatum tuberculati, glabri, laetè virides, et ferè ex flavido virides, exceptis antiquioribus, qua parte lignescunt, ubi cinerei. Pubes tubercularum brevissima. Eorum spinae validae, longae, inaequales, longiores interdum plusquam bipollicares, divergentes, sordidè albae, in articulis inferioribus antiquioribus numerosiores, 8-12, ferociiores, in superioribus junioribus paucae, 1-3. Subinde huc illuc deficiunt, sed in paucis tuberculis.

Haec planta a b. m. Martino praefecto horti botanici Telenensis olim Genuam missa est ad hortum botanicum Eq. De Nigro cum *Cocco sylvestri* super eam vivente, nostraque hinc proficiscitur. *Cactus cochinillifer* L., quem vidi in horto botanico Serenissimi Mutinensis Ducis e Kewensi horto allatum, omnino differt ab hoc articulis omnibus crassis, passim iuermibus, colore viridi-lurido, *Cocco* super eum vivente alio.

* *Traité de la culture du Nopal et de l'education de la Cochenille dans les colonies Françaises de l'Amerique; précédé d'un voyage à Guaxaca par Monsieur Thiery de Menonville etc. Au Cap Français chez la veuve Herbault, et à Paris chez Delalain. 1787. tom. 2. in 8°.*

CLASSIS POLYANDRIA.

TRIGYNIA.

10. **DELPHINIUM velutinum**: petiolis basi dilatato-vaginantibus; foliis quinquepartito-multifidis, segmentis linearibus; racemo laxo, cauleque mollissimè villosis; nectario curvo; bracteis inferioribus flore longioribus.
- D. hybridum *y Decand. Regn. veg. Syst. nat. 1. p. 354.*
 D. perenne montanum Italicum subhirsutum, foliis tenuiter dissectis flore violaceo *Mich. Cat. MS. n. 345. Herb. Mich.*
 D. perenne montanum Italicum subhirsutum napelli folio minore, calcari penè incurvo, flore violaceo *Mich. Rar. MS. n. 3.*
 Aconito IIII. *Matth. ed. Valgr. an. 1585. tom. 2. p. 1144.*
 Aconitum IIII. *Cam. Epit. p. 829. Icon ex Matth., sed paullo melior.*
 II IV. Aconito del Matthioli *Pon. Bald. 236. (per error. 336.).*
 Aconitum Lycocotonum flore Delphinii *Lobel. Stirp. hist. obs. p. 386. ic., et Ic. p. 678.*
 A. Lycoc. flo. Delphinii II. *Clus. Hist. lib. V. p. XCV. Icon ex Lob.*
 Lycocotonon flore Delphinii *Dod. Pempt. 441. Icon. ex Lob.*
 L. caeruleum I. flore Delphinii, *Dod. Lugd. hist. 2. p. 1742. Icon ex Lob. situ partium converso.*
 Aconitum Lycocotonum flore Delphinii *Dod. Moris. Ox. s. 12. t. 3. f. 19. Icon ex Lob., sed in pejus.*
 Lycocotonum flore Delphinii *Valent. Virid. reform. tab. 347.*
 Aconitum caeruleum glabrum! flore consolidae regalis *C. B. Phyt. p. 332., et Pin. p. 183.*
 Habitat in *Baldo* ex Calceolario, et Pona; in Pistoriensium montibus *di Succio* l. d. *Memoliante* ex Michelio; in Praetutianorum *Monte de' fiori* ex Ursinio, qui ad me misit. *Perenn. v. s.*
 Caulis teres, striatus, erectus, simplex, ramosusve, molliter villosus, villo subdeflexo. Folia quinquepartito-multifida, segmentis linearibus, acutis, planis, dorso nervoso-venosis, lineis supra notatis, caeterum longè petiolata, plus minus molliter pubescentia, praecipue subtus. Petioli basi dilatati, vaginantes, striati, teretes, more caulis villosi. Racemus terminalis, plus minus laxiflorus, et elongatus. Flores purpureo-cacrulei; unusquisque in axilla bracteae linearis, quarum inferiores praelongae, ipsum florem superantes, primaeque subinde divisae, subpinnatifidae, reliquae simplicissimae, superiores gradatim breviores, pedicello tamen longiores. Aliac duae bracteolae lineares, oppositae, sitae circa medium pe-

dicelli. Calcar duplex, curvum, pedicello, sepalisque longius, extus velutinum, prout fascia dorsalis sepolorum. Petala duo superiore, apice bidentata, inferne anticè angulo solitario, posticè in calcar interius elongata. Petala duo inferiora, unguiculata, ungue albo, limbo deflexo, bifido, segmentis subaequalibus, obtusis, superne fauce, inferne prope apicem segmentorum villis albis barbato, unguibus breviore. Capsulae tres, oblongae, stylo persistente terminatae, interiora versus apice dehiscentes. Rachis, bracteae, pedicelli, bracteolae, capsulae molliter velutinae. Sepala, et petala decidua.

Sibiricae, Tataricae, et Caucasicae plantae huic affines nondum semitam ad nos noverant, Calceolario, Matthiolo, Pona, Lobelio, ceterisque antiquioribus Botanicis viris viventibus, qui ideo de Europaea planta, et quidem de Italica hac nostra loquuti sunt, eorumque icones, licet rudes, et imperfectae eam tamen satis ostendunt. Hortus siccus, et codices MS. Micheliani benevolentia Clariissimi, et amicissimi Octaviani Targioni-Tozzetti certiorem me fecerunt de identitate stirpis Micheliana, et meae.

CLASSIS MONADELPHIA.

POLYANDRIA.

11. **HIBISCUS pernambucensis**: foliis profundè cordatis, subrotundato-acuminatis, crenatis, senioribus utrinque glaberrimis; stipulis magnis, lanceolato-falcatis.

Habitat in Brasilia, et Guadalupa, unde semina sub hoc nomine habui a Raddio, et Bairdiso. *Z. v. v.*

Caulis teres, senior cortice cinereo, junior viridi. Folia longè petiolata, profundè cordata, subrotunda, acuminata, crenata, subinde angularia, supra viridia, subtus pallidiora, firmiuscula, praecipue seniora, quae utrinque glaberrima. Petioli teretes, folio longitudine subaequales. Stipula utrinque una ad eorum basim, grandis, lanceolato-falcata, acuta, longitudinaliter multistriata, integerrima, pallens, planiuscula, citò decidua. Caulis junior, foliaque praecipue subtus, petioli, et stipulae juniores pubescentia tenui, stellata, simplicique, alba plus minus adsperguntur. Flores nondum vidi.

Valde similis *Hibisco abutiloidi* W., qui sic distinguendus.

12. **HIBISCUS abutiloides**: foliis cordato-subrotundis, acuminatis, crenatis, senioribus utrinque glaberrimis; stipulis magnis, cordato-ovatis.

H. abutiloides Willd. *En. hort. Berol.* 2. p. 736. n. 4.

Malva arborea maritima, folio subrotundo minore acuminato subitus candido, cortice in funes ductili, flore luteo *Sloan. Jam. hist.* 1. p. 215. tab. 234. fig. 4.

Habitat in America calidiore. *Frut. v. v.*

Diffrerit a praecedente foliis minus profundè cordatis, acumine minus attenuato, paullo durioribus, et grandioribus, inferiorum uno, alterove subinde subrotundo-retuso, ut in Sloanei tab. 134. fig. 1., stipulis latioribus, paulloque brevioribus, cordato-ovatis, obtusis, aut vix acutis, undulatis, pubescentia partium juniorum evidenter, albidiori, seriùs perdurante, habitu plantae grandiori.

Synonymon Sloanei huc pertinens a Linnaeo in Sp. pl. ed. 2. p. 976. perperam trahitur ad *Hibiscum tiliaceum* suum, qui et patriâ, et characteribus diversus, ut evidenter liquet ex *Pariti* seu *Tali-Pariti* Rheed. Malab. 1. p. 53. tab. 30., cuius folia in adversa parte sunt „lanuginosa, seu tomentosa, ac lenia instar veluti „. l. c.

CLASSIS POLYGAMIA.

MONOECIA.

13. *MUSA sapientum*: spadice nutante, floribus masculis deciduis *Sp. pl. 1477. n. 2.*

Habitat in Indiis. *Perenn. v. v.*

Hujus loci est planta illa, quae obvia in hortis botanicis Italiae sub nomine *Musae paradisiaca*. Pluries, et etiam elapsa aestate Florentiae, et Mutinae eam vidi florentem, et fructificantem; flores ejus masculi erant mentandri. ~~decidui~~ ~~flavas odiongi~~, maturi odore, et sapore suaves.

14. *PANICUM sulcatum*: spicâ compositâ, infernè interruptâ; involucris unisetis; glumâ corollinâ externâ transversè rugosâ; foliis lanceolato-linearibus, sulcato-plicatis.

Habitat in Brasilia, unde attulit Raddius, et benevolè communicavit. *v. s.*

Culmus teres, erectus, striatus, glaber, vaginis foliorum tectus. Folia lanceolato-linearia, elongata, acuminata, multinervia, longitudinaleiter sulcato-plicata more flabelli, margine, plicarumque carinis deorsum ductis digitis scabriuscula, sursum verò levia. Eorum vaginas praelongae, striatae, infernè, margineque glabriusculae, supernè, margineque pilosae, externè ad oram villis densis, brevibus barbatae. Idem villi intus, ligulae loco. Flores in spica composita, terminali, stricta, elongata, infernè interrupta, in meo specimine plusquam pedem longa, et maximam partem adhuc testa foliorum vaginis. Rachis universalis angulata, striata, sca-

briuscula, flexuosa. Spicae partiales undique sparsae, inferiores longiores, remotae, superiores approximatae, imbricatae. Flosculi unilaterales, distichi, alterni, diflui, orti e receptaculo calyculari albo-membranaceo, persistenti, subinde suffulti pedicello brevissimo. Involucrum seta longa, etiam 8-10 lineas, flexuosa, stricta, scabra, flava, posticè sub quovis flosculo sita. Anticè ad basim spicularum inferiorum setae hujusmodi plures, inaequales, breviores. Glumae calycinae tres, membranaceae, glaberrimae; exterior omnium minor, subrotundo-ovata, concava, obtusissima, subtrinervis; reliquae duae oppositae, subseptemnerves; harum major lineam, et quidquam ultra longa, ovata, acuta, obvolvens flosculum. Glumae corollinae duae; exterior coriacea, ovata, acuminate, concava, stramineo-lutescens, nitida, ad lentem rugulis transversis pulchre reticulata, gluma calycina majore vix ac ne vix quidem brevior; interior ovata, acuta, plano-depressa, margine involuto, exteriori subaequalis, sed angustior, et tenuior. Nectaria nulla. Stamina tria. Stigmata duo plumosa.

Planta ad *Setariam* recentiorum ammandanda, si genus hoc firmioribus notis inniteretur. *Panicum plicatum* W. formâ foliorum huic affine, sed citò distinctum paniculâ laxiusculâ, setis involuci nullis, foliis brevioribus, pubescentibus, praeter alias notas.

CLASSIS CRYPTOGAMIA.

ALGAE.

15. **FUCUS selaginoides:** caule coriaceo-lignescente, ramosissimo; foliis parvis, ~~compresso~~ subulatis remotis, sparsis, patulis, basi thalamiferis.

F. selaginoides Wulf. in Jacq. Collect. 1. p. 356. n. 137., et *Crypt. aquat.* p. 51. n. 28. (nec Linn.). *Bert. Amoen. Ital.* p. 220. *Ginn. Op. post.* 1. tab. 16. f. 32. 33. ex ejus herb. *Gmel. Hist. fuc.* tab. II. A. fig. 1. et fig. 1. a. sine descriptione.

F. aculeatus Esp. *Ic. fuc.* 1. p. 72. tab. 33.

F. Abies marina Turn. *Hist. fuc.* 3. p. 122. et 123. n. 249. tab. 249.

Habitat tam in mari supero, quam in infero. Elapso anno copiosè repertus est ad Centumcellas a Cl. Mauro. *Perenn.* v. v.

Jam innui in *Amoen. Ital.* p. 220. hanc plantam differre a *Fuco ericoides* Anglorum, quod quidem ipse Turnerus nunc confirmat instituens ex ea *Fucum Abietem marinam* suum; sed cum alia species hoc nomine antea fuerit evulgata a Gmelino *Hist. fuc.* p. 83., et a me *Amoen. Ital.* p. 287. n. 4., ideo Turnerianum nomen pro stirpe, de qua nunc agitur, Wulfeniano nequit praferri.

16. *FUCUS discors*: caule tereti, setoso-hirto; foliis inferioribus planis, pinnato-multifidis, segmentis distichis, linearibus, serratis; fronde superiori decomposita, ramis filiformibus, concatenato-vesiculosis; thalamis terminalibus, multifidis, verrucosis *Bert. Amoen. Ital.* p. 284. n. 2.

F. discors Syst. nat. ed. 12. p. 717. n. 48.

F. foeniculaceus Turn. Hist. fuc. 3. p. 134. et 136. n. 252. tab. 252. fig. a. b. Icon exhibens fragmentum plantae detritae.

Habitat in mari supero, et infero. *Perenn. v. v.*

Venetiis a por di lido rejicitur e mari frons superior hujus speciei longissima, tota concatenato-vesiculifera. Synonyma *Ginannii*, et *Espeli*, quae Turnerus trahit ad suum *Fucum foeniculaceum* β , pertinent ad *Fucum Abietem* *Bert. Amoen. Ital.* p. 287. n. 4. tab. 4. fig. 2. b.

17. *FUCUS Abies* β : vesiculis nullis; thalamis terminalibus, diminutis *Bert. Amoen. Ital.* p. 287. tab. 4. fig. 2. b.

F. barbatus Turn. Hist. fuc. 3. p. 124. et 126. n. 250. tab. 250.

Habitat in mari Italico, praecipue in mari infero cum specie. *Perenn. v. v.*

Fortè hujus speciei quoque est *Fucus granulatus* *Turn. Hist. fuc. 3. p. 128. et 131. n. 251. tab. 251.*; sed haec icon desumpta ex detrito specimine, ad quamnam stirpem pertineat, definiri nequit. Interim observo *Fucum concatenatum* *Wulf. Crypt. Aq.* p. 49. n. 26., quem Turnerus affert ad *Fucum granulatum* β , pertinere ad *Fucum Abietem* *Bert. Amoen. Ital.* p. 287. n. 4. tab. 4. fig. 2. a., et *Fucum concatenatum* *Velley Colour.* fig. of marin plant, a Turnerio relatuum ad *Fucus granulatum* γ , omnino constituere *Fucum concatenatum* *L. Bert. Amoen. Ital.* p. 286. n. 3.

18. *FUCUS verruculosus*: fronde plana, cartilaginea, tenacissima, ave-nia, apice palmato-multifida, margine undulata, lacinulata, rau-mulosè ciliata; thalamis epiphyllis, globulosis, creberrimis *Bert. Amoen. Ital.* p. 291. n. 9. tab. 5. fig. 4. a. b.

F. Rissoanus Turn. Hist. fuc. 3. p. 138. et 139. n. 253. tab. 253.

Habitat in mari Ligustico. *Perenn. v. v.*

Nec rubrum colorem, nec frondem membranaceo-gelatinosam hucusque videre potui cum Turnerio in hac specie recens e mari educta.

FINIS.

INDEX PLANTARUM

HIC DESCRIPTARUM

| | |
|--|----------|
| <i>Allium roseum</i> β Bert. | pag. 10. |
| <i>vineale</i> L. | 10. |
| <i>Avena villosa</i> Bert. | 6. |
| <i>Cactus pseudo-cochinillifer</i> Bert. | 11. |
| <i>Cinchona glabra</i> Ruiz. | 7. |
| <i>Delphinium velutinum</i> Bert. | 12. |
| <i>Fucus Abies</i> β Bert. | 16. |
| <i>discors</i> L. | 16. |
| <i>selaginoides</i> Wulf. | 15. |
| <i>verruculosus</i> Bert. | 16. |
| <i>Gonolobus floccosus</i> Bert. | 9. |
| <i>Hibiscus abutiloides</i> Willd. | 13. |
| <i>pernambucensis</i> Bert. | 13. |
| <i>Musa sapientum</i> L. | 14. |
| <i>Panicum sulcatum</i> Bert. | 14. |
| <i>Salvia clandestina</i> L. | 5. |
| <i>clandestina</i> β Bert. | 5. |
| <i>Valeriana montana</i> α Bert. | 6. |
| <i>Viola alpina</i> Jacq. | 8. |





